S. D. N. PAVLI PAPAE V.

Bulla Conceſsionis Fratribus Congregationis IESVATORVM.

Vt ordinem Sacerdotalem à quocumque Epiſcopo idoneo, ſeruatis ſeruandis aſſequi generatim poſsint, & exercere.

Prohibitionibus quibuſcumque abrogatis.



R O M AE,

Ex Typographia Reu. Cameræ Apoſtolicæ M. D C X I.

PAVLVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

GENEROSA pastoralis officij cura meritis licet insufficientibus Nobis ex Alto commissa postulat, vt Christifideles præsertim sub suaui religionis iugo obsequijs Altissimi mancipatos, quò ardentiori pietatis, & charitatis affectu in sacrificijs, & diuinis officijs illi placere, magisq. gratum exhibere valeant famulatum, specialibus Sedis Apostolicæ fauoribus, gratijsq. prosequamur opportunis, prout pia illorum vota postulant, & aliàs in Domino salubriter conspicimus expedire. Aliàs siquidem postquam fel. rec. Gregorius xiiij. & Clemens viij. Prædecessores nostri per suas litteras confirmauerant decretum à bo. me. Gabriele Episcopo Albaneñ Paleotto, & Nicolao tit. S. Praxedis Presbyteris Cardinalibus Senoneñ nuncupatis, necnon Cæsare Episcopo Cremoneñ editum per quod statuerant, vt Fratres Congregationis Iesuatorum, qui ex vetustissimo, semperq. obseruato instituto, etiam post emissam per eos in dicta Congregatione professionem regularem sacris ordinibus initiari non consueuerant, qui eo tempore ad sacros ordines promoti reperiebantur, ab illorum executione in perpetuum suspensi essent, quodq. de cætero sub pœna perpetui carceris ad huiusmodi ordines quisquam dictorum Fratrum promoueri, aut ad hunc effectum litteras dimissorias concedere non posset. Et Nos postea iustis de causis animum nostrum mouentibus, de consilio Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium super consultationibus, & negotijs Episcoporum, & Regularium deputatis, Suspensionem ab executione ordinum factam omnibus, & singulis eiusdem Congregationis Religiosis, qui ad ordines etiam sacros, & presbyteratus aliàs tamen ritè promoti fuerant; ita vt quilibet eorum in susceptis ordinibus deinceps quoaduiueret, etiam in Altaris ministerio ministrare, & non susceptos suscipere, ac in illis pariter ministrare liberè posset gratiosè relaxaueramus, ac illos omnes, & singulos ad ministrandum in susceptis ordinibus, atque ad ascendendum ad superiores, & non susceptos ordines rehabilitaueramus. Præterea vt comprehensis supradictis iam ad sacros ordines promotis, alij eiusdem Congregationis Religiosi vsque ad completum numerum Centum dumtaxat in tota Congregatione prædicta ad omnes etiam sacros, & presbyteratus ordines per certos tunc nominatos Antistites, & non per alios promoueri, & promoti in illis etiam in Altaris ministerio ministrare; dummodo tamen præuio diligenti examine ad id idonei reperti forent, liberè, & licitè possent, licentiam per nostras in simili forma Breuis sub die xviij. Februarij M.DC.VI. expeditas litteras concesseramus, aliaq. volueramus, & ordinaueramus, prout in dictis litteris plenius continetur, Nobis per tunc existentes Visitatores, & alios Superiores ac Fratres dictæ Congregationis per dilectum filium Isidorum Venetum Fratrem, & tunc Procuratorem generalem eiusdem Congregationis exposito pro diuini cultui in ipsa Congregatione augmento maximè expedire, vt aliqui ex illius Fratribus, ad Subdiaconatus, & Diaconatus sacros ordines promouerentur, qui gradatim in locum demortuorum presbyterorum statim sufficerentur, Nos etiam de eorumdem S. R. E. Cardinalium consilio, vt vltra centum dictæ Congregationis Fratres in presbyteratus ordine constitutos, alij duodecim ad Subdiaconatus, ac alij etiam duodecim ad Diaconatus sacros ordines de Superiorum suorum licentia modo & forma in dictis nostris litteris expressis promoueri, & promoti in illis etiam in Altaris ministerio ministrare, ita quod quando aliqui ex numero promotorum huiusmodi è viuis decessissent, alij in mortuorum locum substituerentur, Apostolica auctoritate licentiam concessimus, & indulsimus, & aliàs prout in alijs nostris similiter in forma Breuis sub die xiij. Martij M.DC.VIII. expeditis litteris etiam plenius continetur. Cum autem sicut Fratres dictæ Congregationis Nobis nuper exponi fecerunt, ex promotione eorumdem Fratrum ad sacros ordines huiusmodi fælici dictæ Congregationis gubernio, prosperæq. directioni hactenus notabiliter, cum magno, & euidenti illius progressu, & diuini cultus augmento consultum fuerit, & in dies maior illius progressus benedicente Domino futurus sit, si non solummodo centum, verum omnes prædictæ Congregationis Fratres,

ad hoc

ad hoc aliàs idonei,& capaces, ad eoſdem ſacros ordines promoueri poſſent. Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt dicti Fratres, vt ſibi de opportuna ſuper præmiſſis licentia prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ad ea per quæ Congregationum ad diuini cultus augmentum, & religionis propagationem inſtitutarum conſeruationi, & manutentioni, diuiniq. cultus augmento ſalubriter conſulitur libenter intendentes, prædictæ Congregationis Fratres ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & eorum quemlibet à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijsq. Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequeñ, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, ac prædictarum litterarum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis per dictum Iſidorum nunc prædictæ Congregationis Viſitatorem generalem ſuper hoc humiliter porrectis inclinati. De eorumdem Cardinalium conſilio, vt omnes & ſinguli prædictæ Congregationis Fratres nunc, & pro tempore exiſtentes de illorum Superiorum licentia ad omnes etiam ſacros, & presbyteratus ordines ſtatutis à iure temporibus à locorum Ordinarijs, vel alijs quibuſuis Antiſtitibus gratiam, & communionem Sedis Apoſtolicæ habentibus promoueri, & promoti in illis etiam in Altaris miniſterio miniſtrare, dummodo tamen præuio diligenti examine ad hoc idonei reperti fuerint, & aliud eis non obſiſtat Canonicum impedimentum, ac aliàs ſeruata forma Concilij Tridentini, alijsq. de iure ſeruandis liberè & licitè poſſint, & valeant Apoſtolica auctoritate prædicta tenore præſentium concedimus, & indulgemus, ac cum eis ſuper hoc opportunè diſpenſamus. Sicq. per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtan. Gregorij, & Clementis prædeceſſorum prædictorum, ac noſtris litteris prædictis, & quibuſuis alijs prohibitionibus, necnon conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ Congregationis, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam legitimè præſcriptis priuilegijs quoque indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum omnium, & ſingulorum tenore præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſq. contrarijs quibuſcumque. Volumus autem, vt præſentium tranſumptis, etiam impreſſis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides vbique adhibeatur quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die xxv. Ianuarij M. D C X I. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

S. Cobellutius.